



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Maxentius aquis machinatus malum Constantino, aquis perit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

rio, in ipso Rheno, vbique cineres eum infestârunt, à turbine a-  
 eti; neque antè desierunt, quàm sacrilegi ioci supplicium susti-  
 nens suffocatus extingueretur. Ita in cinere peccauit, in cinere  
 luit. Quòd exemplum non solum hæreticis terrori esse debet,  
 quibus consuetum est, ritus sacros Ecclesiæ irridere; sed etiam  
 Catholicis feridè inculcandum; quorum multi, quia Bacchanalia  
 ita in seram noctem extrahunt, vt ad cineres excipiendos, die al-  
 tero, præ somnolentia, surgere non queant, morem sanctissi-  
 mum, antiquissimum, & miraculis confirmatum insuper habent;  
 & nihili faciunt. Voluit eo ritu Ecclesiæ homines commoneface-  
 re, pœnitentiæ, humilitatis, mortalitatis. Nam priscus mos est,  
 vt in silicio & cinere pœnitentia agatur. Et submissi animi argu-  
 mentum est, non comptum, non ornatum, sed sordidatū incedere.  
 Deniq; ipsius Dei vox est, *Puluis es, & in puluere reuerteris*, qua  
 voluit primum hominem docere, eum reuersurum in terram, de  
 qua sumptus erat. Quòd si igitur prædictus homo, alioqui mini-  
 mè malus, ob leuem iocum, adhuc hesternæ crapula stolidus tan-  
 tope est punitus, videant alij, qui mera malitia, aut pertinaciâ  
 in diuinos ritus sunt blasphemij, quid mereantur.

Luc. 10. 17.

Gen. 3. 19.

## IX.

Sed nunc ad aquam veniamus, videamusque, an ibi quoq;  
 pœna talionis reperitur? Et reperitur sanè. Maxentius Imp. ac-  
 cepto nuntio, Constantini Magni copias Italiæ fines tenere, ex-  
 ercitus eduxit, sed in foro Iulij crebris prælijs deiectus, coactò  
 milite, cum copijs suis ad mœnia vrbs refugit, ipsq; se continuit.  
 Quintus tum agebatur annus Imperij Constantini. Maxentius  
 sollicitus de belli euentu magam consuluit (nihil enim vquam-  
 sine mulierularum aut augurum responsis superstitiosus Impe-  
 rator gesserat) maga improba prospera omnia pollicetur, si prius  
 sacris infantibus placaret aduersa numina. Quod summa vanita-  
 te cruentus princeps, facildè perfecit, secto infante. Iusserat au-  
 tem antè, nauibus ad decipulam compositis, fluuium sterni, &  
 superpositis pontibus exæquari. Cùm itaq; ei diem & horam,  
 quando educendus exercitus, & manus conferendæ essent, maga  
 præscripsisset, sacris suis peractis, omnia magæ consilio egit; ple-  
 nusque vana spe, prior ante exercitum suum furibundus è portis  
 proruit vrbs; immemor præ nimia vecordia fraudis à se fabrica-  
 tæ,

æz, pontem cum paucis aggressus, in profundum mergitur cum equo, nec vsquam cadauer eius postea inuentum. Ad hunc mo- Exod. 14. 28.  
dum quis haustus est nouus Pharao, in quas voluit, dolofo pon-  
te, religiosum & pium Imperatorem Constantinum præcipitare.  
Ita proprium authorem machina percussit.

Ad hanc classem pertinet aqua potus S. Emmerano Episco- X.  
po Ratisponensi negatus, de quo scribit Cyrinus Episcopus, Cyrio. Episc.  
cùm ei in grauissimis tormentis constituto, à diuinis laudibus & in vita eius.  
& Psalmis Dauidicis non desistenti carnifices linguam excidissent, c. 9. 12. apud  
& abijissent, aduolasse è latibulis suis clericos, cum vicinis mulie- Surium 23.  
ribus. Nutu igitur ab his, corpore sanguine destituito, aqua hau- Septemb.  
stum petijt. Cui Vitalis presbyter & interpretus eius, vir alioqui  
pius & religiosus, non sine commiseratione ac lachrymis dixit:  
*Quid vis refocillari, cùm sis membris corporis destitutus? Meo qui-  
dem iudicio rectius tibi mortem optaris, quam tot affectus iniurijs vitam  
producere velis. Vbi ergo fortissimus martyr intellexit presbyteri  
sui animum secus affectum, quàm expediret, collecto spiritu, &  
mutilatâ linguâ, verba, vt potuit explicans, ita eum affatus est:  
Non tibi in mentem venit, saepe me dixisse, neminem ad mortem festi-  
nare debere, sed potius optare, vt differatur, vt possit pijs intercessionibus  
faciè Domini præoccupare, vt detur spaciũ infirmis, ad agendam  
pœnitentiam, propter ea, qua infirmitas humana perpetravit? An ve-  
rò pigritia tua molestus videatur cruentum refrigerare pectus? Ecce  
nunc temporaria vita hanc ego propono pœnam, vt quoties ori tuo potum  
applicueris, mentis inops fias; nec tamen cuiquam noceas, sed inobedi-  
entia exemplum de te prabeas. Dixit hoc vir sanctissimus, & vt di-  
xit, ita euenit. Tanti fuit sitiienti Martyri haustum negauisse; siti-  
luit, qui sitiienti non succurrit. Quid luent illi, qui Martyrum  
Domino clamanti Sitio, haustum negant? Neque enim in cruce Ioan. 19. 28.  
dumtaxat olim clamauit, clamat adhuc quotidie in miseris, in  
pauperibus & ægrotis, & quàm pauci sunt, qui de crapula sua  
aliquid detrahant vini, vt ad ægrotos refocillandos id mittant?  
An non talionem metuere debent? an non & illi vicissim aliquan-  
do clamabunt, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, Luc. 16. 24.  
vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeres linguam meam,  
quia crucior in hac flamma?*

Potest